

h. 8446.

X 225615

Yb  
2123

LVCTVOSISSIMVM  
VRBIS HAYNAE  
INCENDIVM

AD D. VIII. IVN. MDCCXLIV.

EXORTVM

LAETISSIMAMQVE  
RESTAVRATIONEM

DESCRIBERE CONATVR


IO. SAM. SIBOLD

SCHOL. HAYN. CONR.

---

DRESDAE, LITTERIS HARPETERIANIS.







mens mea funestis concussa timoribus haeret,  
Arrectique rigent prae vasto horrore capilli,  
Sanguis turbatus venis obtorpet in imis,  
Inque meis gelidus vibrat tremor ossa medullis,  
Cum repeto miserae tristissima tempora noctis,  
Qua tu flebilibus cecidisti, Vrbs Hayna, ruinis.  
Sol, qui flammigero vectus super aëra curru  
Tempora distinguit, nitidos detraxerat vrbi  
Infaultae radios, non expectare futuri  
Aduentum fati voluit, discessit ab orbe  
Aspectu moesto, Pelagi se condidit vndis,  
Vrbis direptum cras non visurus honorem.  
Languida nox piceis tenebris inuoluerat orbem,  
Somnus iucundus faciles diffuderat alas,

Vixque suo molli gremio sopire labores  
 Coeperat, optata permulcens membra quiete,  
 Heu qualis subitus strepit inter moenia rumor,  
 Et tremefacta repentino ferit astra tumultu!  
 Omnes, qui dederant nocturnis corpora stratis,  
 Vixque exhalabant fesso de pectore somnum,  
 Protinus ex lectis perterrita membra leuabant,  
 Et detergebant somnum cum pollice suauem,  
 Quilibet hic oculos mox huc conuertit & illuc,  
 In quoscunque locos oculorum lumina torquent,  
 Vndique se monstrant oculis spectacula dira,  
 Ingentique implent trepidantia corda stupore,  
 In mediis tenebris coepit clarescere coelum,  
 Coeperunt diris clara astra rubescere flammis,  
 Nescio quo fato proruperat impetus ignis,  
 Qui per turbatam cito circumfunditur vrbem,  
 Omnes in mediis fulgebant ignibus aedes,  
 O quae inuadebat vaga consternatio mentes  
 Illis temporibus percussas! faeuior ac si  
 Cimmeriis tenebris obductus inhorruit aether,  
 Et vomit insolitos disruptis nubibus ignes,

Ter-

Territat atque comis terrestria regna trifulcis:  
 Terror maior adest, ac si Mars scandat ab Æmo  
 Nubifero, & cinctam facit violenter in urbem,  
 Fulmineis vrgens reboantia moenia turmis.  
 Quilibet intendit mox huc discurrere & illuc,  
 Sed titubant gelido torpentia membra pauore,  
 Atque suas solitas vires praestare recusant.  
 Voluitur in dubias iamiam mens anxia partes,  
 Quid prius arripiat, quid conseruare laboret.  
 Haud secus ac naus medias agitata per vndas  
 Remigio fracto, cui malus faucius Austro,  
 Nescia securi callis, bacchantibus alto  
 In Pelago ventis dubias iactatur ad oras.  
 Conseruata modo rapiuntur pauca per ignem,  
 Plurima coguntur post terga relinquere ciues:  
 Omnia corripiunt flammae sine fine voraces.  
 O quantus longo per multa volumina tractu  
 Se sinuat fumus tendens ad sidera coeli!  
 O quantus sonitus flammaram territat urbem,  
 Et combusta ruunt horrendo tecta fragore!  
 Exorto vento late volat ignea moles,

Per cunctasque furit crudeli more plateas.  
 Haud secus ac plueret diffusis ignibus aether  
 Praegnans cum strepitu magno, mirabile visu.  
 Non sic horrendum adspectu, quando incipit Ætna  
 Insanire ferox, & decertantibus intus  
 Iratis ventis misero gemituque sonoro  
 Euomit horrendas excusso pectore flammam  
 Sulphure commixtas, fundamentisque locorum  
 Imis quasfatis nigrantum, auulsa furore  
 Praecipiti vacuas cito saxa rotata per auras  
 Turbatos agit at longe lateque per agros,  
 Nutantesque quatit tremulis terroribus vrbes.  
 Ah quantus moeror circum praecordia motu  
 Æstuat insolito, perruptaque viscera pungit!  
 Fallor an indomitis correpta Palatia flammis  
 Sancta flagrant mox in cineres ruitura caducos?  
 Campanae interitum certum sentire videntur,  
 O miserum auditu! resonant ad moesta sepulcra  
 Ignibus in mediis ah! funera totius vrbis.  
 Quis vastus strepitus trepidis aduoluitur astris?  
 Exclamant ciues, si tanta cupido nocendi

Vo-

Vobis, o flammae, faeuite in viscera nostra,  
 Et domibus nostris vestrum fatiate furorem,  
 Parcite, nos petimus, modo parcite, parcite nostris  
 Templis, sacrilegos subito prohibete furores,  
 Qualibus haec causis tantas meruere ruinas?  
 Sed furdum cassi funduntur in aëra questus,  
 Nulla sacratarum est reuerentia debita rerum,  
 Horrendum faeuit non exorabilis ardor,  
 Nec fugit a templis furor implacabilis ignis,  
 Vsque ruunt tremulo duo sancta Palatia casu,  
 Iraque funestis cessit satiata rapinis:  
 Vt leo crudelis tenebrosis excitus antris,  
 Excutiensque iubas tumidas ceruice superba,  
 Percurrit trepidos horrendo murmure saltus,  
 Correptamque feram crudelibus vnguibus vrget  
 Luctantem misere, & stridentia corpora frangit,  
 Nec faeuae absistit furor insatiabilis irae,  
 Vsque cruentato rediit saturatus hiatu.  
 Tantus inest igni furor, vt per viscera terrae  
 Bacchetur gelidae penetrans ad moesta sepulcra,  
 O mirum! rapidis putrefacta cadauera flammis

Ar-

Ardent, atque artus radiant vt lumina clara,  
 Iustitiae sedes, qua non praestantior vlla,  
 In cineres tristes furibundo vertitur igne:  
 Sedes, qua longum per tempus cara iuuentus  
 Doctorum labiis exfluxit dulcia mella,  
 En! in saxorum flammis variatur aceruos.  
 Nil valet iratas prorsus compefcere flammam,  
 Undis indicit bellum temerarius ignis,  
 Undaque, qua vulgo compefcitur impetus aestus,  
 Inferior cedit, multo hic vehementior instat.  
 Non contenta rapax fuit inter moenia flamma,  
 Extra urbem incensam crudeli more vagatur.  
 Roedera, quae vitreo delabens garrulat ore,  
 Haynensesque suis muros praeterfluit undis,  
 Non valet indomitos ignis delere furores,  
 Ex mediis lignum submersum deuorat undis.  
 Cedite mox, Ciues, maior fit clamor in vrbe,  
 Linquite nunc vrbis carissima moenia vestrae,  
 Mors venit, ah! vitam vestram feruare studeto.  
 O qualis dubias stimulat turbatio mentes!  
 Diffugiunt omnes trepidi, comitante timore,  
 Hin-



Hinnuleis similes timidis, quos horrida tigris  
 Frangere persequitur celeri vehementior Euro,  
 Per sylvas fugiunt, si quercus inhorruit alta  
 Mobilibus foliis ad ventum, & sibilat aura,  
 Cordibus & genibus titubant sudore madentes.  
 Cuncta repentino fato confusa videntur:  
 Hic vocat vxorem queribunda voce maritus,  
 Vxorque amissum quaerit turbata maritum,  
 Deplorant casti deperdita pignora amoris  
 Per mediam noctem tristi cum corde parentes,  
 Turbatumque suis vlulatibus aëra rumpunt.  
 Cernimus hic quaedam prostrata cadauera, mente  
 Perculsa, quibus heu! vitam vis abstulit ignis.  
 Deficeret tempus, quando omnia damna referrem,  
 Quae nobis miseris ea nox infauista tulisset,  
 Vix horae quaedam praeterfluxere fugaces,  
 Flebilibus iacuit pene vrbs tota Hayna ruinis.  
 Sol, qui cedentes noctis disiecerat umbras,  
 Horrendam potuit vix aspectare ruinam,  
 Quam tristi occasu miserae praedixerat vrbi.  
 Proh dolor! insolito tum vidi incedere luctu

)(

Hay-

Haynam, distractos foedavit puluere crines,  
 Nullus adest animus, lacrymarum flumina manant  
 Per madidos vultus, & pallida cernimus ora,  
 Mente genuque tremit tum deficiente vigore,  
 Infirmis tundit moerentia corda lacertis,  
 Cumque graui singultu ad sidera brachia tollens  
 Cunctantis, tandem torpentia vincula linguae  
 Rumpit, & hos questus liquidas effundit in auras:  
 Aspice me miseram, Deus, o Pater Optime! nonne  
 Nostra tibi cordi est clades? quae vulnera nobis  
 Dextra tua infixit? vix irreparabile damnum  
 Cernitur in nostris muris, solamina desunt  
 Dulcia, quae nostros possent lenire dolores,  
 Curarum vasto luctus quatit ossa tumultu,  
 Praeque graui gemitu tristes fere trudor ad umbras.  
 An tua perpetuo clausisti pectora, Clemens  
 O Deus? an cepit te saeua obliuio nostri?  
 Visque tuas aures omne obdurare per aeuum?  
 Imple diuino moestam solamine mentem,  
 Vulnera, quae infixit nobis tua dextera, sana:  
 Tu potes ipse Deus nostros compescere luctus.

Di-

Dixerat. En! hilari clarescunt nubila luce,  
 Descendit medias diuina Pronoea per auras  
 Fronte serenata, niuea circumdata veste,  
 Fulgor inest oculis, & in haec verba ora resoluit:  
 Desine perpetuis animum cruciare querelis,  
 Insanisque illum semper corrodere curis,  
 Omnem perculso de pectore mitte timorem,  
 Disiice tristitias, arrectis auribus haere,  
 Atque meos imo sermones corde reconde,  
 Funde preces largas, Maiestatemque tremendam  
 Numinis immensi submisso corde verere,  
 Obsequio seruans sanctissima iussa lubente,  
 En! Deus ipse tuas properat sarcire ruinas,  
 Mulcebitque tuum dulci solamine pectus,  
 Luctibus in mediis orientur gaudia, summus  
 Vulnera sanabit Deus, & mala dura leuabit,  
 Hic, qui percussam te disturbauit ad imum,  
 Hic iterum erectam te tollet ad astra serena,  
 Diuinam extolles tu laudibus ipse Pronoeam.  
 Dixerat, & nitidis iterum se reddidit astris.  
 Grandia sedatam peruadunt gaudia mentem,

)) ( 2

Sic

Sic est, implentur diuina oracula, nostra  
 Vrbs Hayna infaustos capit incrementa per ignes,  
 Cedite funestae, iam cedite, cedite curae,  
 Exhilara frontem, fugiat nox atra repulsae  
 Tristitiae, sistant lacrymarum flumina cursus,  
 Subleuat ipsa tuas Sapientia Summa ruinas.  
 Larga Patris patriae summi clementia Regis  
 Irrigat innumeris donorum pectora riuus.  
 Vndique muneribus largis pia corda laborant,  
 Vrbs infausta, tuis lapsis succurrere rebus.  
 Plaudite, per vacuas renouata Palatia surgunt  
 Auras, & cunctis gemino splendore nitescunt:  
 Ipsa Dei nostri reparata Palatia fulgent  
 Tergeminis radiis vsus reditura priores.  
 Torquentur cupidis cunctorum viscera votis,  
 Illucesce dies, clamant, quo possumus ore  
 In templis nostris laetos depromere cantus,  
 Sincerasque preces effusas pectoris imo,  
 Nostraque per verbum recreantur corda salutis  
 Quis sonus exultans arrectas verberat aures?  
 Iam resonant sanctae laetis concentibus aedes,

Fui-

Fundunturque preces, diuina oracula mentes  
 Quondam percussas suauis solamine complent.  
 Omnia testantur luculentis gaudia signis,  
 Iam suggestus ouat renouato cinctus honore,  
 Et noua splendet felicibus ignibus ara,  
 Et muri lapidesque noui gestire videntur.  
 Vndique laxatis effusa erumpit habenis  
 Laetitia, vt fluuius collectis turgidus vndis  
 Littoribus ruptis, & sprete sede priori  
 Æstuat in planos se circumfundere campos,  
 Nec cohibentur aquae spumantes aggere structo.  
 Curia, qua ciues nostros Astraea gubernat  
 Æquis mandatis sublato vertice gestit,  
 Sedes, qua quondam pulcras dilecta iuuentus  
 Doctrinas auidis arrectisque auribus hausit,  
 Ex cumulo cineris faustum caput extulit atro.  
 Ciues Haynenses renouata negotia tractant  
 Imperturbati curis fugientibus atris.  
 Desine continuos, Vrbs Hayna, effundere questus,  
 Incipe sedato modulari pectore cantus  
 Laetitiae, atque Deo meritas persolvere grates,

Qui tibi post tantos donauit gaudia luctus,  
 Sed vix centenis expones munera linguis,  
 Quae manibus praebet Clementia Summa benignis,  
 Cernite, diffusos extollit ad astra lacertos  
 Vrbs Hayna, atque Deo clementi dicere vota  
 Æstuat, en! sacro feruentia pectora motu  
 Implentur, Patri se totam dedicat almo,  
 Tutorique suo dat dextram corde fideli,  
 Se feruataram coelestis iussa Parentis.  
 Nunc venit ad solium reuerentia debita summum,  
 Rex Auguste, tuum, submisso pectore fatur:  
 Quid Tibi pro tantis donis, Rex Optime, soluam,  
 Quae manibus largitur adhuc Tua Gratia plenis?  
 Te tegat expansis diuina Pronoea lacertis,  
 Saxoniamque domum, durissima fata retundat,  
 Inque Tuum pectus semper largissima manent  
 Flumina laetitiaee superas demissa per auras,  
 Hostilesque Dei prosternat dextra cateruas,  
 Quae perterrebunt tua vasto regna timore,  
 Maxime Rex, faustis victoria cincta triumphis  
 Exhilaret mentem, niveis pax candida pennis

Vr-


Vrbes pacificis nostras circumuolet alis,  
 Ecce! tuum radiis auctis Diadema coruscet,  
 Et iubar extremas rutilum spargatur in oras,  
 Non prius e viuis, Rex Clementissime, cedas,  
 Quam niueis ornet Te longa senecta capillis.  
 Concilium summum longos Dresdense per annos  
 Floreat illaesum, cui rerum cura sacrarum,  
 Hoc Deus immensus donis sine fine coronet,  
 Auxiliis nostram sortem molliuit acerbam.  
 Vrbs Hayna innumeras pergit persolvere grates,  
 Nunc ad vos venio, dicit, vos alloquor omnes,  
 Qui mea muneribus minuistis fata benignis,  
 Gratia plena Dei nitidis descendat ab astris,  
 Et vos donorum largis circumfluat vndis,  
 Sint vrbes vestrae florentes, tectaue vestra  
 Stent nostris fatis omne inconcussa per aeuum,  
 Vestrum quem quondam declarauistis amorem  
 Sera meo nunquam rapiat de corde vetustas.  
 Nunc concede mihi mea vota adiungere votis  
 Vrbs Hayna, atque Deum simul implorare benignum.  
 Hic Deus Omnipotens tutis te protegat alis,

Sem-

Semper inexhaustis cumulet tua pectora donis,  
 Praeterito nunquam crudelia fata timore  
 Otia conturbent tua, stes celebrata per orbem,  
 Ut laurus vireas gelidis nutrita fluentis,  
 Quam faeuis metuit flammis accendere fulmen,  
 Ut referunt, caput & tollens sublime per auras  
 Diffusis ramis iucundas excitat umbras,  
 Aeternoque viget crescentis frondis honore.  
 Sint salui semper, qui sancta oracula pandunt,  
 Atque viam nobis ardent monstrare salutis,  
 Inque dies multos illorum gloria crescat,  
 Qui regnant nostros aequo moderamine ciues.  
 Stet schola lugendis nostra imperterrita fatis,  
 Sint omnes ciues diuino Numine tuti,  
 Sic vigeas longos, Renouata Vrbs Hayna, per annos.







*h. 80/46.*

*X 2256115*



LVCTVOSISSIMVM  
VRBIS HAYNAE  
INCENDIVM

AD D. VIII. IVN. MDCCXLIV.

EXORTVM

LAETISSIMAMQVE  
RESTAVRATIONEM

DESCRIBERE CONATVR

IO. SAM. SIBOLD

SCHOL. HAYN. CONR.

---

DRESDAE, LITTERIS HARPETERIANIS.